

item excerptum ex suggestione Histriensium et Venetiarum ad papam Gregorium missum, quam prefatus Tyberius synodo obtulit, cuius initium est: «Suggerendo ter beatissimo atque apostolico totiusque orbis terrarum capiti, domino Gregorio, universalis papae, cuncti episcopi Histriensium et Venetiarum provintiae seu cuncta generalitas populi Gradensis oppidi et plebis, ultimi servuli vestri».

Ad locum cuncta liquidius in veritate suggerere non omisimus. Tempore igitur Aquileia civitate stante in Hysperia illuc sanctus Marcus evangelista ad predicandum ab urbe Roma, scilicet a beatissimo Petro principe apostolorum, directus est, per cuius vero predicationem veracissimam orthodoxa fides Christi populo commoranti inibi ab eo tradita est et usque nunc ibidem immutabilis manet, necnon ab ea exordium christianitatis non sola sumpsit Italia, verum etiam multae aliae provinciae.

Beatissimus igitur Marcus evangelista Aquileiae resi-
dens, vultum beati Petri apostoli videre desiderans, Ro-
mam urbem regrediens et secum elegantem virum, Her-
machoram nomine, ab omni electum clero et populo de-
ferens, et ab ipso beato Petro apostolo Aquileiae urbis
ordinatus et constitutus est pontifex. Deinde Hermachoram
proto Italiae pontificem constituit. Pontifices adhuc
Aquileia in civitate stantes sexto miliario in loco, qui
Gradus nuncupatur, munitionem quandam construxerunt,
in qua etiam Dei aecclesias mirifice fabricaverunt, qua-
tinus aestivo tempore ibi degentes Aquileiae pontifices
possint ardorem aestatis evadere. Et notandum, quod
omnes Histriensium civitates ac reliquae, quas haec notat
synodus, Aquileiae civitati, quae caput et prima est to-
tius Italiae, subiectae sunt.

Item, in ultimo interrogatus est Tyberius, diaconus et
oeconomus Gradensis aecclesiae, ut proprio ore proferret,
qualis harum duarum divisionum sedes, quae contra ca-
nonum statuta partita est, prima et metropolis fuerit.
Qui constanter clara voce professus est: «Negare non
possum, quia ego et paene omnes sciunt, Aquileiam civi-
tatem primam et metropolim esse et a beato Marco et Her-